DE RATIONE ALTERANDI HVMORES, PER medicamenta ad purgandum, atq; eorundem euacuationis tempore, Disputatio ordinaria instituta.

A
GASPARE NAEVIO
Chemnizio Medico.

RESPONDENTE
M. AMBROSIO BORSDORFFIO,
Medicinæ Baccalaureo, pro Licentia,
in ea arte, consequenda.

LIPSIAE.
XXVI. Februarij. Anno à partu uirginis
M. D. LI.



W woluminie kolejno współoprawne sygnatury:

Odręczny spis tytułów

SD 4122 II
SD 4123 II
SD 4124 II
SD 4125 II
SD 4126 II
SD 4127 II
Inc. 331
SD 4129 II
SD 4130 II
SD 4131 II
SD 4132 II
SD 4133 II
SD 4134 II
SD 4135 II
SD 4136 II
SD 4137 II
SD 4138 II
SD 4139 II
SD 4140 II
SD 4141 II
SD 4142 II
SD 4143 II
SD 4144 II
SD 4145 II
SD 4146 II
SD 4147 II
SD 4148 II
SD 4149 II
SD 4150 II
SD 4151 II
SD 4152 II
SD 4153 II
SD 4154 II
SD 4155 II
SD 4156 II
SD 4157 II
SD 4158 II
SD 4159 II
SD 4160 II
SD 4161 II
SD 4162 II
Inc. 331 b
Rkp. XVI wiek



BIBLIOTEKA GŁÓWNA
UNIWERSYTETU im. A. MICKIEWICZA
W POZNANIU

In hoc libro contenta

1 Carmen p uera medicina, et de peste, Gab. Ayalae Doct. G.
2 Popularia epigram. medica, eiusdem, Antuerpiae ao 62 L
3 Podagrae ludus elegiacus p Eob. Hessum. Moguntiae, 51 C.
4 Febris dialogus Huttenicus, 14 Incendium Lutheri A.
5 In C. Plinii l. 30 cap: 1 et 2. Magiae et Apologia Tritemii. G
6 Matheoli tract. de artificiali memoria. A.
7 Ars memoriae Ge. Sibuti et poëmata aliorum A.
8 Vulpecula excoriata p Iam. Cornarium ao 45 Frac. E.
9 Nitra ac Brabyla p Vulp. excor. asseruanda p ind. Aug. in Marcho E
10 Ad illiberes calumnias Fuchsii, responsio Egenolphi B.
11 Disputo de testium na et mul. seminis na DD. Roth et Pfeil.
12 Disp: Wenceslai Baieri q D. Roth.
13 Disp: Henrici Stromeri de morte hom.
14 Disputo D. Auerbachii de pneumonia etc. D
15 Disputones duae D. Rothae p Doctorandis aliq.
16 Disp: D. Aurbachii, de Mo Comitiali.
17 Disp: Gasp: Naevii de Phebotomia ao 48
18 Disp: D. Fenchii, p Reitpachero doctorando
19 Disp: D. Meurerii de catharris, rudente Pechio ao 49 C
20 Disputo D. Roth cum Porstorfero de Melancholia deum
21 Alteratio et purgatio humorum D. Naevii, ao 51 C
22 Disp: de phlegmone, Thamulleri et Flacci.
23 De lotione et balneis D. Aurbachii et Matheoldus E.

24 Disputa D. Jacobi Milichij p Peucero & Nathero.
25 Disp. D. Roll, p Bechio, Macholdo.
26. Disp: de causis febrium in gnre, D. Cleinij.
27 Disp: D. Sim: Scheibij de Acuti Mbi natura.
28 De sang & pituita D. Drembeck p 3 Doctores
29 D. Drembeck p doct 30 Quaest medicae e D
31. De calore & spiritu nativo disp Meurerij & Steinmetz. C.
32. De vino & eius gnribus D. Hofmann & Scheibij
33 De lacte disp: Pfeiferi & M. Barth. 34 Ecstasis Strack
35 Elementa Hip. & Gal. D. Drembach & M. Barth.
36 Recta medendi ratio D. Meurerij. C.
37 Cae & principia certitudinis D. Titij Regiomont. C.
38 Dinstlicher speise natur durch Laur. Feysen. e
39 Origo & ca pestis p Bernhardum Lüccelburg
40 Cur dz Pestilentz D. Henrici Stromers 41 D. Kentmanij.
42 Von ungethieferen. 43. Vom Neuen brodt
44 Facetia & mores mense carum 45 Castigaes D. Pistoris. E.

DE RATIONE
ALTERANDI HVMORES, PER medicamenta ad purgandum, atq; eorundem euacuationis tempore, Disputatio ordinaria instituta.

A
GASPARE NAEVIO
Chemnizio Medico.

RESPONDENTE
M. AMBROSIO BORSDORFFIO,
Medicinæ Baccalaureo, pro Licentia,
in ea arte, consequenda.

LIPSIAE.

XXVI. Februarij. Anno à partu uirginis
M. D. LI.

ÜD16

SD 4140 II

H:
145 2166

Biblioteka Główna w Poznaniu
Univ. im. A. Mickiewicza

GASPAR NAEVIVS CHEMNIZIVS ARTIVM ET MEDICINAE DOCTOR LECTORI. S.

MAGNA PROFECTO SAPIENTIA INSTITUTA sunt, artium scientiarũq;, quæ in scholis ad tuendam uitam docentur, Doctorum collegia. Cum enim ueritas maxima semper à parte hominum neglecta fuerit: eorum uero qui sectandam eam instituerunt, quidam uel imbecillitate ingenij præpediti, uel labore inquisitionis ab inuestigatione ipsius deterriti, opinionem rerum pro scientia amplectentes, qualicunq; doctrina contenti fuerint: Nonnulli autem, industria laboreq; à se inuentam, inuidia quadam illam in possessione retinuerint, uel si protulerunt, scire se magis ostentarint q̃ docuerint: atq; cum alijs in eodem curriculo uersantibus, in æmulationem incidentes, uel acumine ingenij, uel prauitate naturæ, pro uana gloria tuenda inuoluerint potius eam, q̃ explicarint: Pauci deniq; extiterint, qui rationibus ueris munitam, quibus & ad posteros propagari possit, reliquerint: ut illorum docendi ratione dudum extincta, ita nec horum monumentis conseruata ad hæc usq; tempora fuisset: Nisi diuinitus, ut credo, ex communi cœtu hominum, ad constituendos publicos Ordines, euocati fuissent, qui, ad conseruandam ueritatem rerum, communi coniuratione omnibus sæculis quasi conspirassent. Sunt igitur ordines, (quas facultates uulgo uocant) custodiæ ueritatis, in artibus scientijsq; singulis propagandis atq; tuendis. Sed quemadmodum illæ assidua fideliq; institutione ad alios propagantur: defenduntur uero discussione pugnantium rationum subinde oborientium: Ita ascitis, in hos ordines publicos, ex hac re duplex incumbit munus: docendi alterum, quo cum fungi simul omnes non possunt, iudicio ob id illud certis quibusdam demandatur: alterum uero tuendi, commune omnibus, quo & singulis liceat declarare, se non tam artium scientiarumq;, quas sequuntur, esse professores (quod sub opinione do

ctrinæ nonnullis hodie contingit) quàm ueritatis contentæ in ipsis artibus assertores, utq; communi tutela ueritas quasi in possessione & retineatur & propagetur. Hoc munus uerò, cum lege honestissimi nostri ordinis mandatoq; nunc ad me deuoluatur, nihilq; sit tam humanum, quàm leges colere prouehereq;: Placuit, cum biennio antè, de eo instrumento, quo plenitudinem ad uasa tollimus, hoc est, de missione sanguinis, quam phlebotomiam appellāt, ex doctrina Hippocratis atq; Galeni, imò natura rei disputassem, & de altera nunc, quæ ad uires appellatur, plenitudine tollenda, deq; præparandi humores ad eam ipsam ratione, quædam in publicum proferre. Quam rem patentem latè, & uarijs opinionibus Neotericorum intricatam, quia oraculo breuissimo Diuinus noster Hippocrates est complexus: Itaq; aphorismum ipsius in Themata conieci, quo & obscura inuestigari, & pugnantia discuti publica doctorum uirorum collatione possint. Quam operam in utilitatem tuam institutam, tibi comprobatam iri, candide Lector, spero.

Vale.

AN

Concocta solum medicari & cruda non mouere in principijs morborum, nisi materia (quod raro contingit) turgente,

Secundum Hippocratis antiquam & ueram doctrinam, conueniat?

CONCLVSIO.

NVMERVS HVMORVM naturalium.

Quæ

QVATVOR ESSE HVMORES, maſſam ſanguineam in humano corpore conſtituentes, medicorum authoritate in confeſſo eſt.

2 Eſſe uero in diſtributione horum humorum, quaſi uehiculum, potum cum cibo ſumptum.

3 Qui abſoluta diſtributione, officio functus, à membris, tanq̃ nullius amplius in corpore uſus futurus, per uesicam tandem expulſus, excernitur.

HVMORVM NATVralium uſus.

4 Reliqui uero humores, ad alenda membra ſeruantur partim: partim uero, pro functionibus nonnullis præſtandis, moram aliquandiu in corpore trahentes, tandem etiam expelluntur.

HVMORVM NATVralium Conditiones.

5 Sunt autem ſinguli, ut certo modo ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatisue circumſcripti, ita etiam loco.

6 Quæ omnia obtinentes, ſecundum naturam ſe habere dicuntur.

7 Sin uero in uno pluribusue notabiliter permutantur, præter naturam conſtituti dicuntur.

8 Quemadmodum igitur naturaliter iſs ſeſe habentibus, & omnibus conſtitutis ex ipſis, uel conſequentibus ipſos, ſanitas conſeruatur.

CAVSAE ET EFFECTVS HVmorum à naturali ſua forma conditione neq̃ deflectentium.

Ita

9 Ita affectus præter naturam introducunt, si, uel modo substantiæ, uel qualitate, uitiantur: Si quantitate unus uel plures excedunt: Si denique loco destinato aut proprio, quàm oportet, diutius commorantur.

LOCI.

10 Vt enim sanguis in uasis suis diutius, quàm oportet, commoratus, Pletoram generat: semen in uiris uarias affectiones: in mulieribus uerò, unà cum menstruo retento, præfocationes parit: Extra uasa uerò effusus, phlegmonas, putredines:

11 Ita reliqui in uasis & membris, quibus continentur, præter scirrhos, affectus uarios generant: effusi uerò Erysipelata, œdemata, cancros, phagedænas, & consimiles alios tumores præter naturam, pariunt.

12 Atque eueniunt hi continuitate uasorum, aut imbecillitate propria dissoluta, aut rupta pondere, aut exesa humoris qualitate: Virtutisque expultricis robore fracto.

13 Illi uero expultricis imbecillitate: aut uasorum meatu, tuberculo aut tumore, occluso: aut ineptitudine humoris, ob substantiæ modum, non expelli potentis.

QVANTITATIS.

14 Quantitate uerò sanguinis generatur pletora: ut aliorum humorum, arquatus, leucophlegmantia, icterus niger.

15 Atque ut singulorum quantitas ex alimenti unius cuiusque naturali prædispositione, adhibitisque non rite re-

bus

bus non naturalibus (quas uocant) oritur: Ita sanguinis à temperato epate, reliquorum uerò à distemperie partim ipsius, partim membrorum uasorumq́, à quibus excipiuntur, constipatione obstructioneq́.

QVALITATIS.

16 Qualitate uerò uitiantur humores, usu praui alimenti, & distemperie membrorum, in quibus generantur & continentur, deniq́ admixtione alieni humoris.

17 Hinc causi, synochi, cacexiæ, & his similes affectus progrediuntur.

MODI CONSISTENTIAE.

18 Modo uero consistentiæ præter naturalis humoris fiunt, coma, cari, obstructiones pori fellei, & reliquorum meatuum pororumq́.

19 Atq́ hi quoq́ à uiscositate humorum, atq́ praua ipsorum, membrorumq́ qualitate intemperieq́ oriuntur.

DIVISIO HVMORVM EXcrementorumq́, à naturali sua forma, deflexorum.

20 Quicunq́ ergo humores in singulis his uel pluribus, in coctione à calore naturali, uel ob frigiditatis aut caliditatis excessum, in sanguinem non mutati, apti adhuc existunt, qui aut in alimentum corporis conuerti possunt, aut à naturali forma excrementorum pòst deficientes, eam

tes, eam aptitudinem ex alteratione medicamentorum consequi possunt, ut commodè à natura post, medicamentoq; trahente, euacuari possint: Hi præter naturam simpliciter appellantur.

21 Sunt enim à secundum naturam habentibus, quantitate, qualitate & substantia aliqua ex parte permutati.

22 Ex toto genere præter naturam appellantur, qui ad neutrum reduci apti, suam quasi naturam exuti, in aliam substantiam degenerarunt.

23 Eius generis sunt, calculi, quibuscunq; tandem in uasis membrisq; generati, thosi in articulis: Præterea quæ humoribus sunt propiora, ut Steatomata, Atheromata, Melicerides.

24 Ablationem uero, quæ sunt ex toto genere præter naturam, requirunt.

25 Qui uero simpliciter appellantur præter naturam, alterationem requirunt ducentem humores, uel ad similitudinem nutriendi, uel ad aptitudinem euacuationis.

26 Euacuatio uerò cum fit, aut pharmaco educẽte, aut missione sanguinis, quam phlebotomiam appellant:

27 Hæc auctis simul omnibus debetur: illa uero uni, uel pluribus supra modum naturæ auctis, uel praua aliqua qualitate affectis.

28 Est enim purgatio, sanguinis à redundantibus in eo humoribus seu excrementis, depuratio.

29 Hanc natura in sanis quotidie sine externa ope exercet.

30 In ægris, ubi morbosæ causæ est superior.

31 Vbi uerò inferior illi succumbit natura.

32 Hanc medicus, minister quippe naturæ, suscipere postea debet.

Scopi

SCOPI OPERATIONVM IN arte, circa humores peccantes, uersantium.

33 Sed quemadmodum ipsa euacuatura, nihil prætermittit boni, quin facta prius segregatione præparationeq́, quod inutile est, pellat: Quod uero est utile excrementis commixtum, conetur, ad benignum reducendo, sibi assimilare:

DVPLEX ALTERANDORVM HVMORVM FINIS.

34 Ita & medicus, morbis aut impendentibus, aut grauantibus corpus, discussis humorum grauantium naturis, in quacunq́ coctionis regione repertis, perpendet, qui euacuatione simpliciter egeant: Deinde etiam, qui alteratione uel præparante ad purgandum, uel ducente ipsos ad benignum: ut post à natura assimilari possint.

DE BENIGNORVM HVMORVM natura, alterandiq́ ratione.

35 Reductionem ergo ad benignum requirunt humores, quicunq́ in coctione sanguinis, propter frigiditatē suam à calore non euicti, apti tamen existunt, qui sanguinis formam accipiant.

36 Est enim sanguis mediū humorum, ad quod, tanq́ ad εὔκρατον, reliquorum cum ipso in coctione generato

rum, humorum excrementorumq; præsidia alterantia sunt perquirenda: Siue illa, ut expellantur è corpore, pro præparatione adhibenda fuerint: Siue, ut in sanguinem transmittantur, pro ulteriori ipsius coctione iuuanda.

37 Eius ergo generis est pituita dulcis.

38 Quæ, quia parum à sanguinis forma abest, hinc facili mutatione in ipsum transit.

39 Proxima ab hac est pituita acida.

40 Reducenda itaq; utraq; est ad benignum, præsidijs ijs, quibus & calor naturalis in coquendo fouetur, & humor illi pro assimilatione, mutata eius præternaturali dispositione, præparatur.

41 Sunt autem quies, moderatum exercitium, cibus paucus & attenuans, & his similia.

42 Hæc singula uel cuncta, pro conditione poscentis uel caloris uel humoris, sunt naturæ ab arte porrigenda.

DE NATVRA NON BENIgnorum humorum.

43 Reliqui uero humores potentia, ut sanguis fiāt post coctionem, priuati, siue sanguinem caliditate sua excesserint, siue ipsius formam propter frigiditatem induere non potuerint, naturam grauantes, præparandi sunt, sublatis per alterationem impedimētis uirtutis expultricis, ut commodius post à natura remedijsq; euacuentur.

DE ALTERATIONE NON benignorum humorum, quoad eductionem.

44 Im-

44 Impeditur autem uirtus expulsiua in expulsione humorum, à quibus grauatur, uel modo substantiæ læsa, uel qualitate praua, intemperiéue introducta, affecta: uel uasorum, per quæ educi debent, angustia occlusionecq; denicq; ipsorum copia.

45 Sunt ergo, uel utrisq; uel singulis his impedimentis sublatis, humores præparandi,

DE ALTERATIONE Humorum ad eductionem, quo ad uasa.

46 Occlusio ergo uasorum aperientibus remedijs est reseranda.

47 Angustia uero humectantibus mollificãtibusq; est dilatanda: & tum maximè, ubi, quod expelli debet, præsidijs alterantibus parum aut nihil loci relinquit.

48 Peccant hinc grauissimè, in cholica fecali scybalosacq;, calculo & similibus morbis, qui, neglectis his artis præsidijs, Eccoproticis, Lithontribis, alijsq; diureticis utentes, miseros ægrotos maiori cruciatu, quàm morbus ipse afficiunt: dum duriora excrementa medicamentis purgantibus, tanq; crassiores paxillos per angusta foramina agentes, sæua accidentia inferunt.

49 Cum ergo, ex subsidijs præparandi ad purgationẽ, primum ferè locum humectatio uasorum, apertioq; obtineat:

50 Merito, ut alia, sapienter Hippocrates hæc corpora antè, quàm quis purgauerit, fluida facere præceptum reliquit.

51 Siquidem non tam humores euacuandos, quàm uasa ipsa, ob concomitantia accidentia, respicere iubet.
52 Sunt autem illa, conuulsiones, tormina, dissolutiones, fastidia & his similia.

DE ALTERATIONE HUmorum, quoad consistentiam qualitatemq; præternaturalem.

53 Qualitatis uerò uitium, in humoribus ad expulsionem ineptis, ut destructa distemperie uirtutem lædente, tollitur: Ita modus substantiæ, expulsionem impediens, facultate contraria medicamenti emendatur.
54 Qui caliditate igitur peccant humores, non modò eo frigiditatis gradu, quo lædunt, sunt alterandi: Consimiliter qui frigiditate, humiditate, siccitate, suo contrario:
55 Sed &, quicunq; crassi existunt humores, sunt incidendi: uiscosi abstergendi: infarti uerò liberandi.
56 Hæc uerò, uel cuncta uel singula adhibenda sunt, pro conditione præternaturalis humoris, non expelli potentis.

ALTERATIO PITUItæ præternaturalis.

57 Vitrea ergo pituita, negocium naturæ in expellendo facessens, quia nec à calore ob frigiditatē euinci, nec ob crassiciem expelli commodè potest, utrisq; præsidijs & calfacientibus & incidentibus ad euacuationem est præparanda.

58 Con-

58 Consimiliter & mucilaginosa: dissimili tamen calfactionis dissecationisq; ratione.
59 Acris uerò, quia, ob leuem bilis commixtionem, quoddam uitij contraxit, ἐπικράσει tendanda, num, in coquenda illa, naturæ opem feramus.
60 Salsa, aut propter putredinem contractam aut commixtionem bilis cum, præterq; quod benigni in se contineat nihil, erodendo etiam noxas inferat, ἐπικράσει etiam præparanda, ut quamprimum expellatur.

BILIS.

61 Est bilis etiam, cum benigni, quod assimilari possit; nihil in se contineat, è corpore, si grauat, educenda.
62 Sed quia naturam in expellendo sæpe & qualitate & modo substantiæ impedit:
63 Præparanda talis est contrarijs præsidijs ad expulsionem. Reprehenditur ergo haud iniuste, optime de re medica meritus, & grauis in arte Author Rhasis, à suæ gentis principe Auicenna, quod sine præparatione bilem simpliciter expurgandam esse præceptum reliquerit.
64 Nec probanda est Reprehensoris opinio, qua asserit, ingrossationem uel reductionem ad temperiem, ad expulsionem tenuis humoris conferre.
65 Vt enim spiritui propellenti ex aspera trachea, ingrossatio tenuem humorem præparat: ita impedit in reliquis membris uasisq;, quæ temperie sua, uillisq; coadiuuantibus, superfluitates expellunt.
66 Est enim ingrossatio, fluiditati in præparatione humorum ad expulsionem ab Hippocrate traditæ, cõtraria.

67 Hinc humoribus illa, propter tenuitatem intra corpus ad locum aliquem, cum noxæ periculo, currentibus, præsens remedium adhibetur,

68 In humoribus extra corpus educendis, cum locum non habeat, hinc bilis tenuis qualitate non lædens, ut & alij serosi humores, est euacuanda.

69 Flaua uero, quia & consistentia crassiori prædita, calidior multò acriorq; pallida existit, contrarijs & qualitati substantiæq; præsidijs præparanda est.

70 Consimiliter & uitellina intentioribus remedijs: quò magis caliditate substantiæq; crassitudine flauam, ex qua generatur, exuperat.

71 Porracea uero, ex uenis in stomachum effusa, quia, præter magnum caliditatis excessum, & siccitatem magnam possidet, frigidis humectantibusq; expultrici est præparanda.

72 Idipsum & in æruginosa agendum, si modò ob summam prauitatem præparationem permiserit.

ATRI HVMORIS.

73 Ater uerò humor, quia præter substantiæ modum, & utrâq; naturali sua intemperie, reliquis humoribus ad expulsionem est ineptior, præparatione eò magis eget, quò magis à sua natura, uel substantiæ modo, uel qualitate recesserit.

74 Si ergo uel ob congelationem, uel ob resolutionem humidi, crassior ater humor extiterit, ut crassitiei ex resolutione ortæ, humidioribus cum caliditate moderata iunctis medicamentis succurrendum est; Ita obortæ ex congelatione, incidentibus etiam.

75

75 Cum uerò, ut & flaua bilis, per adustionem in atram bilem permutari occeperit, tunc qualitati susceptæ in humore frigidis humidisq; occurrendum erit, eoq; intentioribus, quò magis à naturali gradu, alterationem tamen suscipiente, excesserit.

76 Vbi autem in atram bilem exactam prorsus permutatus fuerit, in eo alterando præsidijs salubribus non abutemur.

DE ALTERATIONE putrescentium.

77 Nec alteratio in humoribus exactè putrefactis tentanda.

78 Sunt enim humores putrefacti quoquomodo ex corpore euacuandi.

79 Sed quia reliquos, à putredine adhuc immunes humores, à quantitate sua aliquando exuperant;

80 Hinc, in euacuandis eiusmodi putribus, præmeditatione utendum: & tum maximè, cum, qui cum putridis coniuncti sunt, humores eius generis existunt, ex quibus & refocillationem conseruationemq; suam uires recipiant.

81 Peccant igitur grauissimè, qui, sanguine magna ex parte corrupto, post principium febris pestilentis, opem correptis phlebotomia laturi, mineram reliquam uirium subtrahentes, ægros morituros & sua & artis calumnia attingunt.

82 Vt igitur phlebotomia sanguini, ad corruptionem tendenti, tempestiuè, & antè, quam extremum gradum putredi-

tredinis attigerit, adhibita, summum est remedium.

83 Ita & reliqua præsidia, putredini resistentia, sunt adhibenda, cum in eo corruptionis gradu sunt humores, in quo, quod superest benigni, conseruari, & quod semiputre, uel iam putriturum est, à natura euinci, & à putredine arceri potest:

84 Arcentur autem à putredine humores putrituri, remotis humiditatis caliditatisq; præter naturalis, quibus putrescunt, causis.

85 Si igitur humor in uasis, uel ob interclusam quacunq; ex causa difflationem, uel ob facultatis expultricis, ex intemperie uel modo substantiæ introductam imbecillitatem, qua nec coqui nec expelli humor potuit, plus æquo collectus diutiusq;, quàm oportet, commoratus supercalfactusq; putrescere cœperit:

86 Vt intemperie modoq; substantiæ semiputris humoris, operationem non modò partis, sed & caloris in toto lædentis, eo usq; contrarijs remedijs occurrendum, donec & humor ad benignum redactus, & calor ab intemperie uindicatus, coctioni liberè incumbens, fomentum putredini subtrahat.

87 Ita difflationis prohibitio tollenda est contrarijs, siue uel ob frigus, uel humoris crassiciem, copiam, lentore uè acciderit.

88 Consimiliter & agendum in ijs alterandis, qui extra uasa computrescentes febrem accenderunt.

89 In utrisq; uerò, tam extra quàm intra uasa, putrefactis humoribus, cum partes solidæ, coctionem ueram perficientes unà cum calore naturali, ob intemperiem præter naturalis caloris affectæ, nec coquendo nec segregando probè munus suum peragant.

De

90 Eousq; eductio prauorum humorum, quiescentium maximè, per medicamenta purgantia protrahenda erit, donec & membra solida cum calore naturali, recuperati proprij muneris, hoc est, coctionis signa ostenderint.

91 Signa uerò coctionis cum in morbis, de quibus ueno sum excrementorum genus testatur, principium coctionis terminet:

92 In quo nec mobiles sunt humores, nec naturam habemus in expellendo adminiculantem:

93 Frustra igitur, cùm quod quietum impræparatumq; humorem medicamento trahente in principio morbi moueris & nihil eduxeris: tum uerò præter colliquationem benignorum humorum, & conuulsiones, corrosiones, deliquia animi, & alia sæuiora accidentia introduxeris.

94 Ad uitanda ergo hæc omnia, sagax naturæ, ueritatisq; industrius inquisitor Hippocrates, ut oraculo breuissimo, ita uerissimo præceptum reliquit: concocta medicanda, & cruda non mouenda in principijs morborum esse.

95 Siquidem non solum euicta à natura, quoad assimilationem, concocta appellare consueuit Hippocrates: sed & excrementa ipsa, à calore ad expulsionem euicta præparataq;.

96 Ita & cruda non solum quæ, apta quidem in sanguinem mutari, nondum tamen permutata sunt, uocat: sed & excremēta, ob prauæ qualitatis substantiæq; modum, non expelli potentia.

79 Ad assimilandi excretionisq; aptitudinem in humoribus introducendam, licet præsidia ab arte, naturæ porrigantur, ex quo sine duplici coctionem duplicem humorum in arte constituentes, & duplices coctiones caloris in corpore fingere tueriq; cum quidam ex Neotericis conentur:

98 Reuera tamen non est nisi unus, tam in ea quæ assimilantur, quàm quæ excerni debent, caloris natiui actus, semper benignum conseruando, excrementosum quod est ad expulsionem præparans.

99 Vtroq; igitur munere calore naturali destituto, alterantibus remedijs est succurrendum.

100 Quantitas uerò per uices offerendorum pro alteratione medicamentorum, non numero potionum, ut ineptè quidam consueuerunt: sed præternaturali dispositione, pro eo quod aut citius aut tardius mutari potest, in humoribus est dimetienda.

101 Nec est ad exactã signorum apparentiam, uirtute urgente, alteratio humorum protrahenda.

102 Non improbamus tamen, dum coquitur humor, communium euacuationum meatus, ut sunt alui & intestinorum, per emollientia abstergentiaq; medicamenta, subdoctionem: siue per glandem siue clysterem siue potionem exhibita fuerit.

DE MINORANTIBVS.

103 A medicamentis uerò peccantem humorem mouentibus,

tibus, & non educentibus (quæ quia pro miratione materiæ exhibentur, à Neotericis Minoratiua appellantur) prorsus eo tempore, quo coquuntur humores, est abstinendum.

104 Siquidem non concocta solum medicari præcepit Hippocrates, sed &, quæ cruda sunt, non mouere.

DE ERADICANTE Medicamento.

105 Damnantur etiam meritò qui Eradicatiui medicamenti dogma, contra ueterum omnium rationem & naturam rei, in artem introduxerunt,

106 Est enim quantitas medicamenti purgantis, non penes peccantis humoris multitudinem, sed uirtutem euacuationem laturam, dimetienda.

107 Præstat igitur cum custodia uirtutis, in humorum noxiorum euacuatione, eam subinde reiterando infrà subsistere, quàm eradicatione illa imaginaria naturam, forti medicamento educente, demoliri.

109 Idipsum etiam obseruandum in morbis, coctionem peccantis materiæ in longum tempus protrahentibus,

109 In quibus, cum natura lentè & coquat, & subinde etiam euacuationem moliatur: Diligenter uidendum, quod munus illa à nobis maximè singulis temporibus requirat.

110 An præterea cuncta & alterandi & euacuandi præsidia sint porrigenda.

111 Qui uerò morbi in materia quiescente, ad uigorem seu ἀκμὴν, cum spe uictoriæ ipsius naturæ, super humorem peccantem contendunt:
112 In horum uigore, ubi constiterint, medicamentis mouentibus educentibusq; est prorsus abstinendum.
113 Nec in principijs horum morborum quicquam aut mouendum aut euacuandum.

QVI MORBI IN PRINCIpijs purgationem admittant.

114 Inchoantibus tamen morbis, si quid est mouendũ, moueri debet.
115 Mouendi autem sunt in principijs humores, à quibus uel uirtuti uel membro nobili, grauis noxæ periculum ob qualitatem prauam humoris fluxuri, impendet.

116 Periculum uerò cum ab humoribus, furiosorum more, hinc inde in corpore concitatis fluentibusq; (quod turgere eleganter quidam, sed Hippocrates propriè ὀργᾶν appellat) naturæ membrisq; impendeat.
117 Hinc in principijs morborum, furentes seu turgentes humores sine præparatione sunt purgandi.
118 Idipsum etiam agendum in acutis passionibus, ubi furentes extiterint.
119 In reliquis uerò, cum ob caliditatem purgantium medicamentorum, ueteres euacuationem pertimuerint, clementiora nos medicamẽta nacti, ubi uirtuti à magnitudi-

ne mor

ne morbi, periculum impendere censuerimus, exhibere ea possumus in principio & tutius: sed tamen cum ea, quæ ab Hippocrate tradita est, præmeditatione.

120 Consimiliter & euacuandum est in initijs eorum morborum, in quibus, membris nobilioribus, à plenitudine fluxuri humoris, timemus.

121 Nec est hæc per reuulsionem euacuatio concoctionis præceptis contraria.

122 Concoctio enim, cum quiescentibus & firmatis in aliqua parte corporis humoribus, sit adhibenda:

123 Meritò etiam tenues serosos q̃ humores, utpote ad fluxum euacuationem q̃ aptos, sine præparatione, nisi cũ mala qualitate coniuncti fuerint, euacuamus.

124 Quicunq̃ igitur, destructa præternaturali dispositione, humores peccantes per alterantia medicamenta ritè uel ad coquendi uel educendi potentiam reduxerit: educendorum q̃ deinde euacuationem tempestiue instituerit: Cùm quod cum Hippocrate, & recta ratione medendi, conscientiæ suæ in operando satis facere poterit: tum uerò ob subsidia hæc ad communem uitam tuendam conseruandam q̃ collata, consequetur, ut ab omnibus habeatur & merito,

ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἄν-
τάξιος ἄλλων.

τέλος.

PROBLEMATA.

I.

An, quod & Hippocrates præceptum reliquisse uidetur, ad animi usq; deliquium, ut phlebotomia, ita & medicamento purgante ducere conueniat?

II.

Cum, qui bene habent corpore, & sani existunt, iudicio summi medici filij Dei, nec medico, multo minus medicamentis opus habeant: Cur Hippocrates in aphoristica doctrina, in qua non, nisi quæ summè sunt necessaria in operando, breuissimis sententijs est complexus, pericula medicamentorum purgantium sanis exhibitorum duobus aphorismis recenset: cum tamen sanis nulla purgantia exhibenda esse uideantur?

III.

An medicamenta purgantia extra stomachum, ad humores peccantes trahendos, sua substantia ferantur: An uerò, horum uirtute eò transmissa, fiat per attractionem euacuatio?

IIII.

IIII.

An natura, attracta parte quadam peccantis humoris, à medicamento purgante, releuata, insurgat ad expulsionem reliquæ materiæ: An uerò id faciat substantia uenenosa medicamenti, irritata?

V.

An humores peccantes ex uasis expellantur per se, an per accidens, ratione medicamenti infestantis naturam?

IACOBVS BERVALDVS
Excudebat.

Biblioteka Uniw. Jag. w Poznaniu
Dział im. A. Mickiewicza